

uationem aliquid studij, operæ, laboris, industriæ, aut
sumptuum conferunt. Quoties nos diuinitus conditos
esse fatemur, ac contemplamur impressas mentibus no-
stris, uelut uestigia quædam diuinitatis, illas pulcherri-
mas notitias de Deo, de uirtutibus, & de rerum natura:
Toties in eam cogitationem ueniamus necesse est, illos
præstantes motus ideo, præ cæteris animantibus, huma-
nis animis insitos esse, ut extarent in natura nostra certa
instrumenta, ad cognitionem & doctrinam rerum ma-
ximarum ac grauissimarum. Ac qualis esset confusio?
imò quid in uniuersum esset uita humana, si nulla existe-
ret societas, & cõmunicatio doctrinæ de rebus utilibus
ac necessarijs? Præsertim in hac imbecillitate naturæ,
quæ, nisi liberaliori disciplina ac eruditione subleuetur,
illo barbarico cœno, quo humanarum mentium oculi
inuoluti, penitusq; immersi, uera luce carēt, ingenti cali-
gine ppetuo oppressa iacet. Idq; nō tātū uulgaribus aut
infœlicibus ingenijs usu uenire uidemus: uerū etiā opti-
mæ quæq; ac præstantissimæ mentes interdum illa ad-
fectuum quasi Tyrannide impediuntur atq; obruuntur,
in quibus illæ *νοίωσι ἐνωίωσι* de rebus optimis, ac sanctissi-
mis extare debebant & illustriores & expressiores mul-
tò, quàm in reliquis, si natura adhuc maneret integra.
Quia uero iam multo sunt obscuriores, uult Deus tamē
illas reliquias conseruari & exerceri studio ac tractatione
bonarum disciplinarum & artium. Et ut subueniret hu-
manæ infirmitati, quæ sua industria pauca admodum,
& uix infima assequitur, excitauit in aliquibus Heroicis
uiris eò præstantiores motus animorum, ut quasi diui-
no quodam afflatu, ad rerum difficilium ac magnarum
a ij inuestigationem